

Casus Moralis

Titius, alicujus pagi parochus, hoc tibi fatetur :—

1. Sui animi levaminis causa necnon, eodemque tempore, ad domus agrosque emendos ut postea cum lucro vendat, saepius a paroecia abscedit;

2. Virum publice concubinarium apoplexia in agro suo corruptum atque post horam cum parvo crucifixo prae manibus ab aliis inventum, oleo sacro imunxit eique sepulturam ecclesiasticam concessit;

3. Tandem poenitens factus, praesertim propter scelera in primo casu commissa, apud Canonicum Poenitentiarium Civitatis Sengleae confessionem peragere desiderat.

Quaeritur :

1. Quaenam sint requisita in subjecto instituendo a) parocho et b) Can. Poenitentiario.

2. Quid in primo et secundo casu de modo agendi Titii tibi videtur. Et da rationes.

3. Utrum Titius parochus, de quo in casu, a Can. Poenitentiaro Sengleae absolvii possit.

Solutio :

Ad I — A). Ut quis in parochum sive per concursum sive per electionem aut praesentationem seu nominationem institui valeat, sequentibus dotibus praeditus esse debet: 1. Ut sit in s. presbyteratus ordine constitutus (Can. 453, p. 1), et hoc quidem ad validitatem; etenim officia “quae curam animarum sive in foro externo sive in interno secumferunt clericis nondum sacerdotio initiatis conferri valde nequeunt” (Can. 154). Ante Codicis publicationem, etiam simplex clericus dummodo in talibus conditionibus constitutus ut “infra annum” ab accepta pacifica possessione paroeciae ad ordinem sacerdotalem promoveri valeret, poterat valide, et justis accendentibus causis etiam licite, in parochum institui; atque ipsa munia parochialia a potestate ordinis independentia exercere (1).

2. Sit insuper bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentialia, ceterisque virtutibus praeditus quae ad vacantem paroec-

(1) C. Trid., s. XXII. c. 4. De Ref.

ciam cum laude gubernandam jure tum communi tum particuli requiruntur (Can. 453, p. 2). Quare 1. Ordinarius :

a) "Ne omittat documenta, si qua sint, ex Curiae tabula-
rio desumere quae clericum nominandum respiciunt et notitias,
secretas quoque, si opportunum judicaverit, prudenter exquirere
etiam ex locis extra dioecesim" (Can. 459, p. 3).

b) "Clericum examini super doctrina coram se et exami-
natoribus synodalibus subjiciat; a quo, de consensu eorumdem
examinatorum, potest dispensare, si agatur de sacerdote doctri-
nae theologicae laude commendato" (Can. 459, p. 3). Attamen
periculum scilicet factum pro prima paroecia sufficit quando trans-
latio fit proponente ac suadente Ordinario; non sufficit quando
translatio fit ad instantiam parochi, nisi Ordinararius cum ex-
aminatoribus judicet idoneitatem adhuc perdurare eamque esse
sufficientem ad novam parochiam (2).

B) Ad officium Canonici Poenitentiarii eligendus est sacer-
dos qui aptior pro loci qualitate ad propria munera adimplenda
reperiatur; ceteris tamen paribus praferatur doctor in s. Theo-
logia vel J. Canonicus. Expedit præterea ut Canonicus Poeni-
tentiarius, aetatis annorum triginta expleverit. Modificatum est
igitur statutum C. Tridentini aetatem quadraginta annorum exi-
gens (3).

Poenitentiaria tandem ne conferatur nisi prius de vita,
moribus, doctrina candidati plane constiterit, salva lege concur-
sus sicubi vigeat (Can. 399) et habita etiam ratione periculor-
um triennalium uti Can. 404 pro qualibet canonicatus collatio-
ne exigit.

Ad II — a). Inter diversas obligationes quibus parochus
ex officio paroeciali tenetur habetur "Residentia". Parochus
igitur ex Jure ecclesiastico residere debet in domo paroeciali
prope suam ecclesiam. Potest tamen Ordinarius 1. ex justa
causa permittere ut parochus alibi commoretur, dummodo domus
ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio
munerum aliquid inde detrimenti capiat (Can. 463, p. 1). Non
tenetur tamen ad residentiam, 1) tempore vacantiae, 2) diebus
quibus parochus piis exercitiis spiritualibus semel in anno va-

(2) Pontif. Comm., 24 Nov 1920 ad I. Vide A.A.S., 1920 ,p. 574. Vide
etiam decisionem a S.C. Conc die 21 Junii 1919, quoad concursum,
datam in A.A.S., 1919, pp. 318-321.

(3) Sess. XXIV, c. 8., De Ref.

cat, (Can. 463, p. 2 et 3). Tempore absentiae provvidere debet necessitatibus fidelium et substituere vicesgerentem. Si parochus ultra hebdomodam abest a paroecia, debet habere scriptam licentiam Ordinarii et Vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum, qui, ante talem approbationem, nequit valide gerere munera paroecialia et notanter nequit valide assistere matrimonii (4). Quod si parochus religiosus sit, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus vicarius probari debet tum ab Ordinario tum a Superiore (Can. 465, p. 4). Si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomodam cogitur abesse, quamprimum per litteras Ordinarii commone faciat eique indicans causam discessus et sacerdotem supplementem ejusque stet mandatis (Can. 465, p. 5).

Titius noster igitur quoties sine causa abfuit peccavit, quamvis juxta plures leviter tantum, licet per bimestre abfuerit sine venia Episcopi, relicto tamen idoneo vicario. Quodsi etiam per breve abfuit, nullo relicto vicario, graviter peccavit nisi brevissima fuit absentia, vel Sacerdotes non defuere populi necessitatibus consulere volentes. Insuper Titius quoties illegitime paroecia abfuit, fructus beneficii pro rata absentiae amisit eosque Ordinario l. tradere debet (Can. 2381, n. 1). Attamen animi levamen justa abeundi causa est dummodo Ordinarii l. venia accedat et populi necessitatibus per idoneum vicarium consultatur. Ast alia ratio scilicet ad domus agrosque emendos, justa causa dicenda non est, imo graviter peccaminosa eo quod negotiatio quaestuosa est, quae negotiatio absolute aliena est a statu clericali (Can. 142), ita ut Titius non solum ab Ordinario l. coerceri potest poenis pro gravitate culpae (Can. 2380), sed juxta Decref. a S.C. Conc. die Martii 1950 lati, in excommunicationem l.s. Sanctae Sedi speciali modo reservatam incursus est (5).

b) In easu nostro parochus defunctum inunxit deinde sepulturam ecclesiasticam ei concessit. Quoad primum: supposito quod sub conditione inunxerit, parochus bene fecit. Etenim "physiologicis experimentis—ut verbis Piscetta-Gennaro utar—constat mortem realem (nempe separationem animae a corpore) non semper eo ipso momento, quo functiones vitales respirationis

(4) Comm. Pont. 14 Juli 1922.

(5) A.A.S., 1 Maij 1950, n. 6.

et sanguinis circulationis cesserent, contingere. Plerumque enim vita aliquod tempore post expirationem perdurat: inspicienda enim est morbi, qui causa mortis fuit, natura, et quae fuerit ejus qui mortuus est constitutio. Igitur diurno morbo defunctum vel post semihoram aut etiam post integrum horam, repentina vero morbo defunctum vel post plures horas sub conditione absolves et unica unctione inunges" (6). Imo si parochus defunctum prius sub conditione absolvisset, et postea iterum sub conditione inunxerit satius fecisset.

Quoad sepulturam ecclesiasticam praे oculis habendus est Can. 1240 p. 1. qui sic se habet: "Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa: 1 etc. etc. 2 etc. etc..... & Alii peccatores publici et manifesti". Nunc vero inter peccatores publicos et manifestos sine dubio recensentur et illi qui in publico aut notorio concubinatu vivunt. Sed hi omnes supra recensiti sepultura ecclesiastica privandi non sunt si "ante mortem aliqua signa dederint poenitentiae". Inter haec signa multi AA. recensent si quis in extremis constitutus sacerdoteum advocet, si imaginem Christi e cruce pendentis osculatus fuerit, si contritionis actum elicuerit etc. (7).

In nostro casu igitur, nisi certo constat et vulgo sciatur crucifixum in manibus defuncti positum fuisse ab aliis eo fine ut poenitentiae signum simularetur, praesumendum est defunctum ipsum subito morbo pereussum, crucifixum e sinu extraxisse ad divinam misericordiam impetrandum. Quod si jure praesumendum est, nil vetat quominus, utique remoto scando, mortuus sepulturae ecclesiasticae tradatur. In dubio, si tempus sinat, ut Can. 1240 habet, consulatur Ordinarius; dubio permanente, cadaver sepulturae ecclesiasticae, remoto scando, tradatur. Animadvertisendum tamen est cadaver sepulturae ecclesiasticae tradendum esse non quia cadaver inunctum fuit (ex inunctione non sequitur poenitentiae signum), sed quia defunctus cum crucifixo prae manibus inventus est.

Ad III — Canonicus poenitentiarius etiam in ecclesia collegiali, ad normam Can. 401, obtinet a Jure pro foro interno, potestatem ordinariam quamvis indelegabilem, absolvendi a peccatis et censuris Episcopo reservatis sive sibi a se sive sibi a Co²

(6) *Elementa Theologiae Moralis*, ed. VI, Vol. V, n. 787.

(7) M. A. CORONATA: *De locis et temporibus sacris*, 1922, n. 257.

dice et quidem et extraneos in tota dioecesi, dioecesanos vero etiam extra dioecesin.

Ex hoc sequitur quod parochus noster quotiescumque non habeat peccata vel censuras S. Sedi reservatas, potest ad Can. Poenitentiarium Ecclesiae Sengleae recurrere ab eoque absolvii. Sed quando Parochus habet peccata vel censuras S. Apostolicae reservatas, *in casibus ordinariis* a praedicto Canonico absolvii non potest, nisi saltem hic aliqua facultate ab ipsa S.S. munitus sit. Dixi "in casibus ordinariis" quia *in extraordinariis* i.e. sive *in periculo mortis* sive *in casu urgente*, recursus patet ad quemlibet Poenitentiarium sicut palet ad quemlibet Sacerdotem in primo casu et ad quemlibet confessarium in secundo casu.

Canonicus Poenitentiarius igitur *in periculo mortis* potest absolvere ab omnibus peccatis atque censuris quomodo documque reservatis, injuncto tamen onere poenitenti recurrendi intra mensem, postquam convaluerit, per se vel per ipsum poenitentiarium, et quidem sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit si agatur de censura *ab homine* et ad S. Poenitentiarium, ad Episcopum aliumve facultate praeditum, si de censura a Jure lata et specialissimo modo S. Sedi reservata; eorumque mandatis parendi (Can. 2252).

In casu urgente i.e. si censura l.s. exterius servari nequeat sine periculo gravis scandali permanere per tempus necessarium ut superior competens provvideat, Can. Poenitentiarius potest in foro sacramentali ab omnibus peccatis atque censuris, quoque modo reservatis, absolvere, injuncto onere recurrendi, ut supra, pro quomodo documque reservatis eorumque mandatis standi. Et si recursus fit moraliter impossibilis tunc, injunctis de jure injungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione, onus recurrendi cessat, excepto casu quo agatur de absolutione censurae confessarii data complici in peccato turpi (Can. 2254).

Ex dictis patet quod parochus de quo in casu cum in excommunicationem l.s. S. Apostolicae *speciali modo* reservatam, propter negotiationem quaestuosam exercitam incursus sit, potest ad dictum Can. Poenitentiarium recurrere sive *in periculo mortis* sive *in casu urgente* tantum et, juxta supra dicta, ab illo absolvii.